







IN NUPTIAS

Pietate & doctrina ornatisimi juvenis,

Dn. THEODORI FABRICII, SCHOLÆ SERVESTA-

NAE ΣΤΝΕΡΓΟΪ,

Reverendi & clarissimi viri, Dn. M.  
THEODORI FABRICII, Inspectoris & pastoris  
quondam Bernburgensis, p. m. filii, SPONSI.

&

Honestissimæ virginis,

U R S U L Æ,

Celeberrimi viri, Dn. GREG. BERS-  
MANI, illustris Soraborum Gymnasii quondam  
Rectoris p. m. filie, S P O N S A E.


Anno 1613. die XI. Maji celebrandas.

Carmina nuncupata ab amicis.

SERVESTÆ

Typis Zachariæ Dörfferi,

ANNO 1613.







AD

Virtute & doctrina præditum juvenem,  
**Dn. THEODORUM FABRICIUM,**  
Scholæ Servestanæ *curvæq; òv*, Sponsum.

**S**ors hominum foliis est assimulata caducis,  
Quorum aliis lapsis, mox nova suppedant.  
Sic pridem nobis mors, quæ metit omne quod usquā est,  
Bersmanum abripuit, Fabriciumq; simul:  
Quorum ille Aonidum sectator, quicquid Athenæ,  
Noverat, & quicquid Roma vetus docuit:  
Hic Verbi exponens divini dogmata, lingue  
Ebraæ clarus cognitione fuit.  
Horum ne nobis tandem genus omne obolescat:  
Sed sint Bersmani, Fabriciiq; novi:  
Ecce horum soboles, Theodorus & Ursula, sacri  
Inter se pangunt fædera connubii.  
Horum ergo meritò gratamur carmine tædis,  
Dicentes: Sponsis sint rata vota novis.

M. Johannes Theo-  
poldus.

A 2

AD




## AD SPONSVM.

Hæc Bersmaniaci pulcherrima planta Roseti  
Umbræ committit se, Theodore, tuæ.  
Tu Rosulam, Theodore, tuani cape, quam tibi *Donum*  
Largitur summi dextra benigna DEI.  
Hanc bene si Rosulam foveasq; colasq; rigesq;;  
Et teneras Rosulas Fabriciosq; dabit.

## Votum.

Vivite felices, felici vivite fato,  
Nec turbet vestrum Lis male-fana torum.

*Andreas Josias Scholæ patriæ Collega.*



## DECLINATIO NV=PTIALIS.

Toto adamat Sponsus, vero quoq; pectore Christum,  
Rursusq; is Sponsi res adamare solet,  
Diri ne noceant Sponso Cacodæmonis astus,  
Quem latro Sponsum perdere sæpe cupit,  
Sponse time, cole, Sponse, Deum, cole, dilige Christum,  
Ille ut pro Sponso militet ipse suo.

Sunt

Sunt ergo Sponsi divino numine Sponsi,  
Nomen Sponsorum hinc candidus omnis amat:  
Qui malè vult Sponsis, stygium trudatur in orcum,  
Autorem ut Sponsos discat habere DEUM:  
Estis quid tristes, Sponsi, deponite curas,  
Asmodei à Sponsis sit procul omne malum.

euχη.

Adsit, adest, aderit divini numen amoris;  
Ustulet & sanctus pectora vestra favor:  
Absit amoris hyems, crucis absit grando, precamur,  
Non breve, sed leve sit, sit quoq; dulce jugum.

Honoris ergo

Abrahamus Theopoldus Ser-  
vestanus Anhaltinus.



**E**n ductore Deo puella culta,  
Fabrici, tibi contigit, quid optem  
Formosæ tibi conjugis marito?  
Et docti tibi conjugis maritæ?  
Vellem digna quidem, velut requiris,

A 3

Tædis

Tædis carmina dedicare vestris,  
Verum posse novensiles, polito  
Phœbō patre satæ vetant alumnae,  
Quin si totum Helicona consecrarem,  
Undas ac Aganippidos dicarem  
Omnes, carmina & universa, tædis;  
Ad magmenta tui tamen quod optas,  
Voti nil facerent, nihil valerent.

Quare quæ volo, bis decem phaleucis  
Ajo: Vivite amore colligati,  
Absit lis, querulosa vox; at adsint  
Pax & lætitia, & favor perennis,  
Post mensesq; decem tenella proles.

Quid possem tibi bis decem phaleucis  
Precari melius, yovere majus?

*Godefridus Schauerus  
Bernburgensis.*



EPITHALAMIUM.

**S**unt sua virtuti, sua sunt encomia & auro:  
Magnus honoris amor, magnus & æris amor:  
Fla-

Flagitat hinc meritò sua laurea præmia virtus,  
Præmia, quæ nullo sunt moritura die,  
Ellogia hinc meritò sua fulvum flagitat aurum,  
Quo nihil in toto gratius orbe viget.

Aufert sed palmam, Lauri cum munere, virtus,  
Quæ sibi digna suo dona labore parit,  
Nam sua sudorem merces ut jure sequatur,  
Evincit pietas, fas, ratioq; jubet.  
Quid loquor? En superum prodit tibi munere merces,  
Et laurus magno digna labore venit:

Cura tibi virtus fuerat, virtute puellam  
Es Laurum nactus: Laurus iò Ursula adest!

Nactus es insignem formā & virtute puellam,  
Bersmano magno quæ sat a patre fuit,  
Bersmano, cuius nomen laudesq; manebunt,  
Dum Phœbi errabit fulgida stella polo,  
Uno quo vivo gaudebant præside Divæ,

Calliope, Sophie, Suada, Minerva, Charis:  
Uno quo lugent defuncto præside Divæ,

Calliope, Scphie, Suada, Minerva, Charis.

Dos opulenta fatis; sed dos quia magna metalli  
Insuper accedit, dos geminata venit,  
Dos geminata venit, gemina & tibi dote puella  
Jungitur: ô fatis par bene compositum!

Par

*Par bene compositum: Naso mibi testis, is inquit:*

*Si qua voles aptè nubere, nube pari:*

*Jungimini ei apares; Juveni est sociata puella*

*Conditione pari, dote & amore pari.*

*Conditione pari; quia tu quoq<sub>z</sub>, sponse, Parente*

*Editus, ellogio cuius ego inferior.*

*Cujus, dum viti contraria brassica, laudes*

*Alternis Musæ, templa, scholæq<sub>z</sub> canent,*

*Dote pari; geminâ veluti venit Ursula dote,*

*Sic Aurum & Virtus dos gemina atq<sub>z</sub> tibi est:*

*Quin & amore pari, quos augeat autor amoris,*

*Fabricia ut parili crescat amore domus:*

*Ergo pares estis, Theodoreq<sub>z</sub> & Ursula, sponsi,*

*Ducis & ipse parem, nubis & ipsa pari:*

*Par benè compositum! Sponseen gratabor, amice,*

*Cui par, cui geminâ dote puella venit:*

*Gratabor quoq<sub>z</sub>, sponsa, tibi, bona verba precatus,*

*Cui par, cui geminâ dote maritus adest:*

*Junetis quid parili vobis in amore precabor?*

*Vivite mente pari, vivite amore pari,*

*Splendeat ac semper vobis fors æqua, supersit*

*Vita optata polo, vita beata solo.*

Jacobus Cujacius Serve-  
stanus Anhaltinus.

Cl 1926




Stk. 6 = Handschrift

Sb.

Paul Friedrich  
Buchbindemeister  
Merseburg a. S.

VDA





# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

